



Ant

103

+





Ioan. Caselñ  
**PAVLINVS,**  
*MEMORIAE*  
**ZACHARIAE KEMPPII**  
**GOTTINGENSIS,**

*viri, praeter cognitionem ingenuarum artium singularem, &  
sacrarum litterarum eximiam, perpetua animi integritate,  
& vita non simulata sanctimonia conspicui, cuiusq;  
chari, in patria ecclesiastae.*



HELMAESTADII,  
*In acad Julia excudebat Jacobus Lucius.*

CID. MD. C.

5.



E quia, Zacharia, sum decedente super-  
stes,

Quem fortasse sequar tamen, hac vel  
luce, vel anno,

Quod tibi supremi possum, quod debeo honoris,  
Carminè persoluam, veterem testatus amorem.

Aoniæ primum nos deuinxere sorores,

Quum valde pueri doctrinæ elementa salubris

Vera cum pietate, probis cum moribus olim

Hausimus, & veterum iussi monumenta sophorum

Sano consilio, manibus versauimus vnâ:

Non vti nunc, quando Sophiæ pro fonte liquenti

Ætati teneræ nugas cœnumq; propinant,

Vt pueri garrire velint, neq; dicere discant,

Omnia se benè nosse putent, noctemq; fuisse

Perpetuam priscis, cum nondum regula Præli

Nata, nec à ranis ita decantata fuisset.

Verum (namq; vicem frustrâ deploro iuuentæ)

Huc ad amicitiam redeo, nostrasq; Camœnas:

Quis par ingenio tibi erat? quis sedulus æquè

Aonios cantus, & Phœbi sacra colebat?

Sed sacra præ reliquis discebas dogmata vatum,

A pu-

A puero informans animum pietate serena:  
Nec feret hoc ægrè lector, si tempus ad umbrem:  
Illud erat, posita quo victor Carolus hasta,  
Ritibus interea præscriptis, Saxonas acres  
Viuerè, paulatimq; reuerti ad pristina iussit, (tes?  
Nequicquam. Quis enim constringat carcere men-  
Quas qui non ratione, sed vrget viribus, idem  
Hoc magis irritat, dictisq; obsistere cogit.  
Sic adolefcentem, multò maioraq; nobis  
Pollicitum tacitè, (quia fas emergere sulco  
E viridi, iusto nec inanes pondere, spicas)  
Haud temerè ornabant clari virtute magistri  
Laudibus, inq; oculis discantum turba ferebat.  
Tum, quos prima tibi dedit ætas, passibus ibas,  
Nescius in cæpti spacij subsistere cursu,  
Spe non ambigua palmæ victricis honorum.  
Namq; ita pergebas, vt ad unco vomere terram  
Qui dum verteret, haud aliorum lumina flexit,  
Officij memor vsq; , nec vnquam in deuia abisti.  
Non specie varia te cepit blanda voluptas,  
Non leuis ambitio torfit, nec te sitis auri  
Perdita, non alijs dominandi dira libido,  
Quæ mala deformant multos pia templa petentum:  
Quin hodie musis neq; visis, sed neq; Mose,

In fundos vt oues, in pascua læta iuueni,  
Sic volitant tecti velo pietatis ad aras,  
Multa vbi quotidie cum primis victima fumat.  
Et videas, quasi cum quæruntur præmia metæ,  
Nec socium obiecto pede supplantare vereri,  
Eretos arte mala, sancta in re: sæpeq; pingui  
Deterior multò meliorem deijcit aruo.

An qui præcipuè, qui primùm, suaui ventri  
Dispicit, & tota res versat mente caducas,  
Seruiat hic cœlo? Christi meditata prophetis  
Sit crux mole premens humeros, clauiq; trabales,  
Textaq; de spina multùm pungente corona,  
Scipio, pes solea vacuus, sine tegmine vertex:  
Cætera de genere hoc, quæ nostræ cuncta saluti  
Sponte subit, hominum princeps, hominum sator i-  
Hic nos iussit iter sua per vestigia durum (dem:  
Carpere, præq; alijs summo dignatus honore,  
Quos dedit esse duces nobis ad sidera cœli:  
Hos crux certa manet, sed multo certior olim,  
Munere defunctos duro, cunctisq; periculis,  
Intertexta virens Eois laurea gemmis.  
At quam difficile est homini præsentia rerum  
Temnere, quæq; procul nostris à sensibus absunt,  
Optima deligere, & præsens mutare futuris?

Verum

Verum, Zacharia, nec in ipso flore iuuentæ  
Vllæ res aliæ, nec gloria, spes nec honorum,  
Queis animi iuuenum feruentes sæpius ardent,  
Commouère tuum, te Christo quando sacrabas,  
Non minus ex illo veneratus tempore Musas,  
Quas rerum domino cuncti seruire iubemus:  
Hæc me tum penitus tenuère in tempefi lætis.  
Namq; ego, nescio quas, laudes venabar in illis  
Vilibus, & spretis studijs, multumq; reprehens,  
Quæq; hodiè fastus, meq; vnà trudit in Orcum:  
(At quamcunq; bonis molita calumnia cladem  
Fabricat, Adrastæa potens subuertet eandem.)  
Post vbi discendo didici, non nomina quæri  
Artibus ingenuis, nec inanis somnia famæ;  
Sed dotes animi, quas qui contemserit, omnem  
Illum agere ætatem multa caligine mersum:  
Quæ non est nostri generis, sed vita ferarum,  
Barbara, deterior, quàm si quis planta vel arbor  
Floreat, aut duros de cautibus induat artus.  
Cur me pœniteat cœpti, quo commoda primùm  
Certa mihi, fortasse alijs non pauca parauit?  
Nec sibi sumpse tamen multò potiora negarim  
Campiaden, Musis qui cœli oracula iunxit.  
Vera loquor: quam spem de se patriæq; alijsq;

Moribus & cultu doctrinæ fecerat, omnem  
Omnibus hanc numeris superavit munere in ipso.  
Principio vitium velis, & equis fugere omne:  
Delicias vulgi pravis in rebus habere,  
Res in delicijs duras, multumq; laborem:  
Dedere se nunquam somno, nunquam furere ira;  
Iurgia non ferere: à stultis fata si qua fuissent,  
Plantis conterere, & vigilantibus euellere cura:  
Non animo, aut vultu, neq; verbo lædere quæquam:  
Optima sed cunctis meditari, & gaudia cœli:  
Omnes in precio, Ioue natæ, Pallados, artes,  
Vnamquamq; loci merito, prudenter habere:  
Esse suo & paruo magnus, non quærere nûmimos,  
Non ædem pinguis benè dotatam vberè glebæ:  
Quin etiam si quidquam in sumptum deforet, illud  
Promere de censu nunquam dubitare paterno:  
Res agere ipse suas, & se non ingerere in res  
Quascunq; alterius, fieri quod sæpe videmus:  
Sæpe egomet vidi, cui pes foret vnus in ara,  
✽ Alterum in eximio procerum statuisset senatu:  
Vidi etiam, qui quòd non sacra accitus ab æde,  
Principis ad dextram, ceu primas, ipse sederet,  
Excruciasse animo sese, quasi vita in acerba:  
Vt contra, qui res, quas inflammatus amabat,

Iam



Iam potitur, dulci recreatus nectaris haustu,  
Non homo, sed superum quis: cum tamen vnus & i-  
Momento ruat infelix in tartara coeca. (dem,  
Ille sed in meta tenuit se: sed nec in vllis  
Partibus officij quidquam pastoris omisit.  
Exploratum igitur Paulinae exemplar amissis  
Aut fuit, aut certe, quod in ipso erat, esse volebat.  
Hinc quoq; cum sensit sese è statione vocari,  
Nequaquam veterem posuit de pectore curam  
Pro grege, diuinis epulis quem pauebat ante.  
Magne sacri pastor gregis, idem summe sacerdos:  
In patria mihi oues pascendas, Christe, dedisti:  
Has fontes egi ad liquidos, in pascua laeta,  
Nunc tibi, quando iubes reddo: tu praefice porro  
Sanctum hominem, gestare pedum qui norit, oues-  
Dirigere errantes, in amoenos ducere campos. (q;  
Et quia nunc ipsum mortalia secla relinquo,  
Huc ades, ad superos recto me tramite ducens.  
Sic ait: hasce preces quoq; consignarat eadem,  
Qua veterem charta docet, & solatur amicum.  
Cum vidisset enim sine culpa me, & sine causa,  
Quaslibet exosum lites, aetate suprema,  
Qua benè demeritus multos, & nemine laeso,  
Iure bono, nudam potui sperare quietem,

Dente

Dente peti inuidiæ passim, vanisq; libellis,  
Sim sator hæreseos quasi verò, Diagorasue,  
Indoluit, iussitq; citatos nomine tali,  
Consilio cunctos animi sedare tumultus.  
Ortu torquet, ait, se nata calumnia primo,  
Atq; vbi iam varias gyros hinc inde per artes  
Fecerit, ipsa suis infracta è nisibus, ex spes  
Turpe & triste caput furijs commiscet auerni.  
Dic quoq; , quid pietas, si duris pectora rebus  
Nostra fatigemus, nec spe meliora sequamur?  
Sic ait: & Musas alij, Christumq; professi,  
Nos quàm sollicitè, in caussa solantur eadem.  
At pauci numero! quid refert? nam neq; gemmas  
Inuenias passim, vel ramenta aurea, scabros  
Vt filices in agris, pietasue in littore conchas.  
Scaliger ipse etiam claro de sanguine regum  
Nos amat, inuidiæq; docet delere furentis,  
Et sociarum, aciem, benè dictis, & benè factis.  
Cana fides nec ab hoc omnino excluditur æuo:  
Sed sunt relliquiæ, superis gens grata, bonorum.

*Per scriptum mense Decembri.*

F I N I S.

AB: 155265

ULB Halle 3  
003 878 325



Sb.

V 17







Ioan. Caselñ  
**PAVLINVS,**  
*MEMORIAE*  
**ZACHARIAE KEMPPII**  
**GOTTINGENSIS,**

*viri, prater cognitionem ingenuarum artium singularem, &  
sacrarum litterarum eximiam, perpetua animi integritate,  
& vita non simulata sanctimonia conspicui, cuiusq;  
chari, in patria ecclesiastæ.*



HELMAESTADII,  
*In acad Julia excudebat Jacobus Lucius.*

CID. 13. C.

